

**Dissertatio inauguralis medica de haemorrhoidum statu s. et p. n. ... /  
[Johann Kaspar Härlin].**

**Contributors**

Härlin, Johann Kaspar, active 1675-1677.  
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Typis Johann-Henrici Reisii, [1677]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zsvnt7fd>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



16 7  
1677  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
HÆMORRHOIDUM  
STATU S. ETP. N.

*Quam*  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
SUB  
RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO  
*Serenissimi ac Celsissimi Principis ac Domini,*  
DOMINI  
LUDOVICI,  
Ducis Wirtembergiæ ac Tecciæ, Co-  
mitis Montispeligiardiæ, Dynastæ,  
Heidenhemii, &c.

*Authoritate, decreto atque jussu*  
Amplissimæ, Gratosissimæque Facultatis Medicæ,  
in Alma Tubingensium Academia  
PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo, Excellentissimo, atque Experientissimo,*  
DN. GEORG BALTHASARE METZGERO,  
Med. Doct. Prax. Anat. & Botan. Prof.  
Publ. Celeberrimo,  
*Præceptore atque Promotore suo filiali observantiâ*  
*atque cultu æviternum devenerando.*

PRO  
LICENTIA.

*Summos honores & Privilegia Doctoralia in Arte Medica legi-  
timè consequendi, publico examini & censuræ submittit*

JOHAN - CASPAR HÄRLIN / Göppingensis.

*Ad diem Mart. Anni M DCLXXVII.*

Horis locoque consuetis

T V B I N G I A,

Typis IOHANN HENRICI REICHERTII



THE  
OFFICE  
OF THE  
TREASURER  
OF THE  
UNITED STATES  
OF AMERICA  
WASHINGTON  
D. C.  
1864



THESIS I.

**S**uccinctum & compendiosum, quantum fieri potest, de *Hæmorrhoidibus* examen suscepturus, quò earundem Idea facilius citiusque innotescat, citra præloquii ambages, nominis contemplationem statim aggrediar. *Hæmorrhoids*, sive, ut plerumque numerò, ob rationes à *Reinero Solenandro* notatas *sect. 4. cons. Med. 20.* effertur, *hæmorrhoides*, quas Barbari Medici *emorroidas* aut *emorroydas* scribunt, ut videre est apud *Ugonem Senensem in consil. Matt. Silvaticum in Pandect. Medicin.* & alios, ἀπὸ τῆς αἵμα καὶ πέειν dicuntur, viquè etymi sanguinis fluxum quemcunq; è quibuscunq; corporis partibus aut vasis scaturientē, sensu cum hæmorrhagia communi, notant, ut ex *Philosopho 3. de part. anim. 5.* constat. Strictiori tamen Medicis usu profluvium sanguinis per venas ex ano aut utero oriundum designat, imò venas has ipsas à symptomate hoc ita nominatas, nec non tumorem p. n. circa harum, extremitates subinde obvium significant. Strictissimè solas ani venas & harum profluvium præsertim monstrat, quem ultimū sensum, ut *Hippocrati* ipsi & toti Medicorum choro hinc inde familiarissimum, meum etiam in præsens facio. Superbò nostrates nomine appellant aureas venas, *göldene Adern / Fluß der göldenen Adern* / ob egregium valetudinis commodum & utilitatem, quibus, cum intra aureæ mediocritatis se limites tenent, suos maculant; quod enim utile est, id illi ex mente *Solenandri l. c.* aureum vocare solent. Alii ta-



men potius κατ' ἀντίφρασιν ita dictas volunt, quasi minimè aureas, si foeditatem, molestiam aliorumq; incommodorum, quod post se trahunt, ubi se non rectè habēt, satellitiū, consideres, quorum intuitu verius verbis *Joh. Conradi Dieterici in jatr. Hipp.* plumbeas, *bleierne Adern* vocares. Extra forum Medicum, effectūs ratione, hōc etiam nomine peculiare serpētum genus gaudet; morſu enim ſuὸ ῥῆν τῶ ἀίματι & ex omnibus corporis meatibus proritare novit, quo de *Galenus de theriac. ad Piſon. c. 8. Dioscorides l. 6. c. 50. & complures à Melchiore Sebizio in caſu adoleſc. à ſerpent. interfect.* ubi iconem pariter liſtit, citati videantur. Sed ſatis de nomine.

II. Quà rem: Cū tritiſſimā Hæmorrhoides diſtinctione in ſalubres & inſalubres, beneficas, ac maleficas aut, ut nonnulli loqui amant, in eas quæ ſ. & p. n. ſunt, dividantur, rectumque ſit regula curvi ſecundū tritum, de ſalubribus prius & beneficiſ, poſt de cæteris viſurus ſum.

III. Illas autem dico *moderatum ſanguinis vitioſi fluxum per vaſa ſanguiflua in ſedem terminantia à natura in moleſtæ ſarcinæ depletionem & ſanitatis conſequenter conſervationem inſtitutum.*

IV. Fluxum hīc fieri ſanguinis ἀντιψία docet; an verò ſ. an p. n. dicendus ſit, liſ inter Autores maxima viget. Rem in utramque partem ventilatam *Gregorius Horſtius Epist. Medic. ſ. 10.* liſtit, & cum *Dan. Sennerto l. 3. præct. Med. p. 2. ſ. 2. c. 13.* ſtatum p. n. defendit. Sed, ſalvō aliorum melius ſentientium judiciō, ſi moderatus fluxus hīc eſt, tempeſtivè, ex ſingulari naturæ id intendentiſ providentia & robore ſit, id quod valetudini inſidias ſtruit, cum ἐνφορέια, in huius conſervationem, excernit, cur ſ. n. id fieri negandum ſit, non video; quod



quod moderatū est secundum naturam est, *Gal. l. de difficult. respir. 1.* hinc expressissimis verbis elegans & absolutum naturæ benevalentis & munia sua rectè administrantis opus fluxum hunc vocat, naturæque cursum. *Solenander l. d. subscribit Jul. Caesar Claudinus consult. Med. 38.* nec aliud *Galenus* voluisse videtur, dum hoc mensibus muliebribus profluvium comparat *de V. s. advers. Erasistr. c. 5.*

V. Cæterum, quæ ad omnem alioquin fluxum necessaria sunt, & hîc inquirenda, quorum præcipuum *Mobile* est; hoc sanguinem non quemcunque sed vitiosum dico. Verè enim *P. Marquartus Slegelius comm. in Riolan. de sanguinis circulo* scripsit: evacuatio per hæmorrhoides non accidit, cū nihil in sanguinis bonitate desideratur. Vitiosus autem est vel solâ inutili quantitate vel molestâ qualitate; prius *Pergamenus* ipse concedit *comm. in 6. epid. 5. 1. 25.* naturam scribens sanguinis plenitudinem etiam per hæmorrhoides evacuare; adstipulantur *Andr. Laurent. l. 6. hist. Anat. quest. 25.* *Solenander l. d. Jacobus Hollerius l. 1. de morb. intern. curat. c. 51.* nec ratio contrariatur; quod si enim in sui conservationem, ut plethoræ se onere levet & à morbis præmuniat, natura invias alias vias non rarò pervias facit; ut sponte ita exilientem è dextra manus salvatella sanguinem in nutrice *Th. Bartholinus c. 1. hist. Anat. 19.* observavit, ex saphena *Schenkius in obs. ex minimo* dextræ manus digito *Zacut. Lusitanus Med. Pr. hist. l. 2. obs. 2.* erumpentem viderunt, per os, nares, oculos, extremosque artus in plethoricis mulieribus idem *Bartholinus l. c.* ejectum notavit, cur non & vasa hæc hæmorrhoidalia in idem beneficium nonnunquam sollicitè & aperiat?



VI. Qualitate tamen vitiosâ frequentius cooperari vel ultrô largior & res ipsa testatur, suspectusque quàm maximè secundum *Galenum* est & verè solus sanguis melancholicus ex *comm. in 6. aph. 11 12.* lienisque ex hypothese foetura præprimis acculatur, unde melancholicos, spleneticos, hæmorrhoidibus potissimum affici, his torqueri, his sublevari, communi consensu receptum est. Sed, ne sub rigidiorē censuram nunc vocem, quid melancholici sanguinis nomine propriè veniat, quid non, cū aliō longè sensu secundum modernos, quàm olim, si admitti velit, explicandus sit; crassum subinde grumosum & atrum humorem, quasi sanguinis fecem & amurcam, ex locis his effluere, contra fidem oculorum inficias ire non possum, an verò hic solus & semper ad vasa sedis, ut effluit, confluat, an restagnans moræ tædiō in ipsis demum vasis grumescat & corrumpatur, secundum *Bernh. Swalve* disquisit. *therap. gener. de hæmorrh.* scrupulum non levem injicit. *Job. Fernelius l. 6. de part. morb. c. 10.* in intestinis demum coire credit; hocque sine dubio accidisse dicendum *Philippo Salmutho*, qui frustum sanguinis concreti palmarum æquans cum pluribus minoribus subsecutis eiecit. *c. 1. observ. medic. 73.* multò minus à liene, ceu hujus foeturam, derivare ausim; lienis enim humor melancholicus juxta *Highmorum* non ens est, ex falsâ de lienis usu persuasione natus, quod rationes circa vias plenius evincent. Interim *Jacobus Primerosius d. error. med. l. 4. c. 51.* *Hermannus Conringius de sang. gener. & mot. c. 22.* *Bernhard. Swalv. l. c. Nobilissimi Domini Prasidis, Præceptoris & Fautoris mei æternū de venerandi, disput. 3. de circul. sang. consoli possunt.*



VII. *Hippocrates* etiam bilis & pituitæ meminit in initio libri de hæmorrh. exemplum illius *Rodericus à Fonseca t. 1. consult. med. c. 27.* recenset; nec dictu probatuque difficile est: ut enim biliosus sanguini humor nunquam deest, nec huic acredo & irritandi vis; ita de facili impetum dare sanguini, vasorumque ora referare posse quis inficiabitur? Plus autem pituita, an & quô concurrat modô, negotii faceffit. Quem Hippocraticorum verborum sensum affingat *Sennertus l. c. quest. 1.* videri potest. Mucosa si intelligenda venit materia, decisures non adeò difficilis videtur: ut mucus cum sanguine ad renes & alia loca it, ita sine dubio etiam ad venas hæmorrhoidales. Si colore standum, inficiatur hoc *P. Paulus Simonetta*, hæmorrhoides, inquiens, variis coloribus nigris, fuscis, lividis, sæpè etiam foetentes, nunquam colore albo visi sunt. Viderunt tamen *Hochstetterus in observ. med. Fernelius & Sennertus l. d.* In quadragenario spermatis instar ranarum evacuatam materiam ad libras 10. *Ephemerid. natur. curios. anni 70. obs. 75.* testantur. *Felix Platerus* similem materiam hanc ei, quæ per menstruas venas in albis uterinis fluoribus exit, judicat, de qua ex variis scriptoribus prolixè & eruditè differentem præcit. *Ph. Hochstetterum* consule *dec. 4. obs. Med. cas. 1.* Pituitam cerebri ita expelli, falsò persuasus *Crato* fuit; varias alii in humoribus præcipitationes, coagulationes, corruptiones, ut colorem hunc expient, fingunt, variaque experimenta *Th. Willis de feb. c. 1. Hieronymus Barbatius de sanguine ejusque sero p. 10. Pecquetus in obs. Anat. Th. Bartholinus c. 3. Inst. Anat. 49.* afferunt; sed, cum dubium valdè sit, an tam promptè, ut extra, ita intra corpus nostrum, omnia fiunt, requisita omnia his mutationibus necessaria, ut extra ita intra corpus



corpus, statim obvia sint, quemlibet suô abundare iudiciô permitto; interim nil absurdi statuisse videor, si chyli ipsius portionem, ut sæpè ad alias partes, sic ad sedalia hæc vasa cum sanguine ruere & hinc evomi dixerò. Constat menses etiam albidos ex causa hæc fluere, mictionem albam seu chylosam fieri ex *ephemerid. nat. curios. anni. 1. obs. 89. ad ann. 3. obs. 284. Joh. Rhodio c. 3. obs. 2. Balhasar. Timæo l. 3. cas. med. obs. 43. Joh. Dravizio d. sympt. scorbut. c. 9.* Nec à veritate aberrare videtur, qui sudores etiam lacteos ex hæc hypothesi admittit. Venæsectione chylum ex variis vasis elicatum experimenta varia in *ephemerid cit. ad ann. 1. obs. 25.* collecta probant.

VIII. De sero adeò non dubito, ut vel primas huic præ aliis humoribus non invitus concesserim, quod humor per se facilè mobilis, aliorum auriga communiter audiat, quo sine reliqui vel nulli vel tamen difficiles ad influxum sunt; imò nec aliud fortè nomen melancholia & pituita merentur, si scapham scapham vocare debeam, quàm seri corrupti pro diversa corruptione diversos etiam colores induentis. Sabulosam etiam materiam hîc eructari nonnunquam *Schneiderus testis est l. 3. d. catarrh. c. 7. s. 1.* nec monstri quid alit in arthriticis, scorbuticis, calculosis, quibus massa sanguinea tali materia plena est.

IX. *Terminus à quo* est massa sanguinea, Oceanus in corpore nostro omnis boni & mali, equus Trojanus, unde morbi omnis generis profiliunt, & per hanc universum corpus secundum *Hollerium l. c.* Communiter quidem focum & stabulum excrementi hujus primam corporis regionem constituunt, & quidem hujus viscera, in specie lienem & hepar, tanquam cacochymiae potissi-



potissimum hospitium, vid. *Hippocratem* 6. *epid.* 24. *Sennertum* l. 3. *prax.* p. 3. §. 1. c. 6. *Hochstetterum* *decad.* 5. *obs.* cas. 1. *Nathan. Highmorum* de affect. *hypochondr.* c. 7. Sed sponte sua hæc collabitur opinio: si enim inutili etiam quantitate peccans sanguis has recludere fores novit, utique non solam amurcam à liene aut infimi ventris visceribus huc defluere certum est, nec reliqua materia omnis & semper à liene est aut hîc colligitur, nec si adest, per viarum difficultates educi commodè potest, de quibus §. 6. cit. Autores vide, solvique inde non lienis modò, hepatis aut inferiorum viscerum morbos sed universi ferè corporis, re ipsâ comperimur, ut circa usum plenius patebit.

X. *Terminum per quem* vasa sanguiflua dixi, & quidem in specie hæmorrhoidalia inde dicta: hæc autem cùm duplicis sint ordinis, venæ & arteriæ, an utraque promiscuè an alterutrum solùm, & qualem hîc operam navent, quæritur. Pro venis veterum auctoritas ubique militat; contrà arterias leges circuli sanguinis defendunt, hasque ubi s. n. & moderatus hic fluxus fit, præcipuè occupatas esse, omnino crediderim; in excedente tamen & p. n. naturâ ad angustias redactâ, venas etiam in consortium trahi & copiosioris materiæ exportationem juvare, sæpè ad virium usque, imò vitæ ipsius, jacturam, nullus dubito cum *Conringio* de sanguin. gener. & mot. c. 38. *Highmor. disq. Anat.* l. 5. c. 15. *Rolsinccio* *diff. ann.* l. 5. c. 15 *Theod. Schenkio* *exerc. Anat.* 5. l. 5. §. 2. c. 15. An autem internis æquè ac externis idem pari jure officium tribui possit iterum dubitatur inter Authores, ut videre est apud *Sennertum* l. 3. *prax.* §. 1. c. 6. Breviter ita statuo: ut vasa hæc in universum omnia primariò intestini recti nutritioni serviunt, arteriæ quidem internæ deferendo sanguinem

B

nutri-



nutritium in hujus substantiam, externæ verò in musculos ani & sphincterem præcipuè, residuumque à nutritione venæ reducunt; ita secundariò & quasi per abusum omnia *ἐκκρίσει* huic opellam suam conferunt, jubenteque naturâ sarcinam sanguinis & corporis universi, eò quò desinunt, deponere possunt.

XI. Desinunt autem, ut *terminum ad quem* monstrem, in anum seu sedem, meatum ventris inferiorem, continendis transmittendisque excrementis destinatum. Velut cloaca hic est, ubi potissima corporis sentina confluit hujusque egerendæ necessitas quotidianum negotium faceffit, quod si debitè succedit, ut mater est omnis felicitatis, ita si deficit, omnium conturbationem & vasorum impuritatem causatur *ex 6. epidem. f. 3. t. 1. catarrhis l. de loc. in hom. pleuritidi de aer. aq. & loc. & sexcentis aliis malis occasionem præbet; ita in specie quibus hæmorrhoidalis fluxus hic moderatè, tempestivè cum ἐνφορίᾳ fit, à multis morbis vindicat & præmunit; secus ubi fit, nascitur malorum lerna & ilias. Ut enim corpus à plethora & cacochymia liberat, ita symptomata hinc metuenda quasi in herba jugulat, Cass. Hofm. de Lien. c. 18. In fasciculum collegit beneficia plurima Hippocrates de humorib. inquit: qui sanguinem per ora venarum, quæ in ano sunt, profundere solent, ii nec pleuritide, nec peripneumoniâ, nec phagedænis, nec furunculis, nec termenthis, ac fortè ne leprâ quidem neque vitiliginibus corripuntur, nec, quod addit 6. epid. f. 3. num. 28. aliis id genus, sed secundum Galenum, vitam agunt morbis minus impeditam; præter enim dicta melancholicis & nephriticis bono sunt 6. aph. 11. nec non in sanis 6. aph. 21. anginam, epilepsiam, avertunt secundum*



*Mercatum l. 3. de morb. intern. c. 17.* lienem induratum sanant *6. epid. 6. t. 8.* hydropem & tabē præcavent. *6. aph. 12.* mensium vices & officium subinde sumunt, & gravidis auxilio esse solent ap. *Hollerium l. c.* adeoque longam senectutem promittunt apud *Ioh. Petr. Lotichium l. 4. c. 10. obs. 1. ephem. nat. cur. ad ann. 4. & 5. observ. 69.* Et hōc quidem saccharō, ut loquitur *Eccardus Leichnerus disput. inaug. de hemorrhoid.* oblinitur remedium hoc aliquin nemini non amarum futurum. Satius equidem foret, si natura principiis obstaret omnemque talis cacochymiaē proventum inhiberet; verū cū id sæpè in viribus non habeat, facit hīc quod potest, & malam radicem prius extirpare nititur, quā in florem & fructum abeat, idque feliciori successu, quā ullā arte fieret. Beneficium autem hoc non uno omnibus, qui istō gaudent, tempore accidit, sed maximè diversō; aliis ordinarium & quidem menstruum, aliis bimestre, trimestre, annuum est apud *Marcellum Donatum 4. hist. med. mir. 19. Sennertum l. c. de hemorrhoid. ex ephem. nat. curios. ad ann. 2. obs. 192. anni 4. obs. 44. & in analect. p. 299. Lotichio l. c.* Hispano nobili per 4 annos quotidianum fuit, optimā interim valetudine fruenti apud *Domin. Panarolum pentecost. 1. obs. med. 46.* aliis sine lege periodi promiscuè advenit, modò citius, modò tardius, pro ratione causarum internarum & externarum agentium vel moventium, taliter vel taliter dispositarum: quod idem circa quantitatem incertam notandum, quæ jam major, jam minor, pro materiae præsertim copia & inopia hujusque dispositione variat, interdum vix vestigia sanguinis comparent, interdum copiosior it, imò quod monstruosum censet *Panarolus l. c.* ad integras libras assurgit; quod



tamen rarò in valetudinis commodum vergit, ut circa statum p. n. dicetur.

XII. *Movens* restat, & quidem principale, quod Naturam artificiosam simul & providam corporis nostri gubernatricem ex *Galen. c. 5. de v. s. advers. Erasistrat.* voco, quæ sui ubique conservationis studiosissima molestum quodcunque sive tædiosa copiâ sive qualitate vitiosâ, ut ad varia alia corporis emunctoria, ita & ad hæc vasorum sedalium ora deponit & expellit. Secundarium alterum ipse sanguis est vitio quocunque naturam stimulans. Juvat ex classe *rerum naturalium* idonea ad hujus receptionem sarcinæ & vasorum hæmorrhoidalium naturalis constitutio, declivitas, rectitudo & secundum *Walaum ἀνατομώσεων* paucitas, sub quarum defectu tam commode reduci sanguis nequit, sed novò continuò sequente & à tergo urgente dilatantur vasa & referantur facilè, ut sarcinam quasi per *ναυσίωσιν* evomant. Adstat non rarò *hereditaria* laborantis *dispositio*, unde familiis nonnullis familiares hæmorrhoides testantur *Schenkius l. 3. obs. Solenander l. c.* Judæosque ex maledictione divina his vexari nonnullorum opinio est; per virgā verò sanguinis aliquem fluxū secundum lunam patiuntur, non per hæmorrhoides, si credimus *Michaeli Scoto, physiogn. c. 10.* Ipsi verò rem omnem negant pernegantque. Consentit *Regionis* proclivitas, ut inde regionales, Venetiis, Patavii & locis vicinis endemias vocet *Rod. à Fonsecat. 1. consult. 27.* Meridionales ita populos solis sanguinisque fervidioris conditio facit magis in has propensos; suspectique in specie fiunt *Ægyptij* secundum *P. Alpinum l. 1. med. Ægypt. c. 4.* Indi secundum *Bontium meth. med. c. 11.* quibus Anglos *P. Ammanus* associat, in *paranes. ad Instit.* Conspirat



spirat temperamentum, quod sanguinem fluxui huic aptum generat, ætas provectior, virilis 3. *aph.* 30. non tamen exclusis etiam aliis; annorum triginta apud *Rod. à Fonseca* juvenis his laboravit *l. c.* nec non senex ann. 80. in *ephemerid. nat. curios. ad ann. 4. & 5. obs.* 69. alius ann. 18. *l. c. obs.* 44. annorum 20. anni 2. *obs.* 192. Sexus sequior magis quidem ab hac molestia liber est, nisi lochia aut menstrua defecerint, *Swalvel c.* his tamen, etiã mensibus præsentibus ordinariis, fluxisse hæmorrhoides, *ephemerides nat. curios.* testantur. Pertinet huc vitæ genus sedentarium, unde literatorum ferè symptoma est. Ex *nonnaturalibus* agmen aër ducit, & hujus præprimis ambientis æstus; nomine hoc regiones nonnullas calidiores malè audiri jam monui: de reliquis ejus effectibus evolvatur *Rolfinccius meth. med. spec. comm. l. 2. s. 3. c. 36. seqq.* pariq; jure balnea, fomenta calidiora accusari merentur. Victus plenior, calidior, facilis ad fermentationem, viribus, ad sanguinem cumulandum, pellendum, aptis præditus, aquæ salsae, nitrosæ, palustres, acidulæ, medicamenta purgantia, præsertim fortiora, colocynthis, scammonium, cholagoga omnia communiter ita dicta secundum *Zacut. Lusitanum hist. med. Princ.* potissimum autem inter hæc aloë malè audiunt; obque hujus crebriorem usum Venetos, Patavinos, hæmorrhoidibus familiariter tentari *Rod. à Fonseca l. c.* autor est. Consentit *Fallopins de simpl. med. facult. c. de aloë*, qui, quoties hæmorrhoides aperire voluit, pilulis de aloë se usum testatur, & ex centum illorum qui aloë utuntur, nonaginta hæmorrhoidalium fluxum pati vidit. *Calvinus* ex immodico hujus usu, teste *Beza* in ejus vita, in hæmorrhoides ulcerosas & sputum sanguinis incidit. De modo, quo operatur, videatur *Sennertus l.*



*c. de hæmorrhoid. quest. 2. Rolfincius de purgant. vegetab. f. 1. art. 2. 6. 15.* Diuretica, menagoga, quibus tardiores hæmorrhoides ad votum plus simplici vice non nemo revocavit in *ephem. nat. curios.* operam suam non segniter conferunt. Vigiliæ, motus corporis violentior, equitatio succussoria, vectio, vox concitatio. *ephem. N. c. ad ann. 3. observ. 226.* partus difficilis, insignior in exoneranda alvo conatus, incommoda eadem promovent; ab otio mulier menstrualis fit aliquando hæmorrhoidalis secundum *Duretum ad Holle-rium.* Consuetarum evacuationum suppressio, venæsectionis, scarificationis, purgationis, narium uteri hæmorrhagiæ, feces duriores, clysteres, glandes acriores suppositæ; animi affectus in sanguinis commotionem & corruptionem apti, ira, curæ, mœror *Zelus ephem. l. c.* non segnitur cooperantur. Ex præternaturalibus plethora, cacochymia, febres, lien, hepar, hypochondria, uterus, malè affecta, acris humor exterius perfluens alvum, interius erodens, varices ex *Glissonio anat. hep. c. 35.* idem præstant; quæ tamen statum p. n. magis respiciunt & constituunt, de quo nunc.

XIII. Hic autem eò magis considerandus venit, quò plura à tergo pericula habet; *Galenus* enim in dubio relinquit, an commodis an incommodis hæmorrhoides si s. aut p. n. accidant, fertiliores existant. Peccant autem vel in excessu vel defectu; ibi immodica fit evacuatio ratione quantitatis, temporis, & modi, hic verò nulla vel insufficiens; utrumque cum *δυσφο-γία*, virium defectu & morborum messe fertilissimâ succedente. Excedunt causis superioribus excedentibus, sub vitio præsertim sanguinis vel vasorum. Horum tamē *ἀνασώματος* frequentissima causa videtur à sanguinis copia



copia, effervescencia, impetu, crassitie, reflagnatione facta: rarior διαπήδησις, nec nisi sub tenui & ichorosa sanguinis constitutione metuenda, qualis ferè melancholicorum, spleneticorum, scorbuticorum est, ubi subinde exundat: nonnunquam vasa etiam διαίρειν patiuntur intus nimia humorum mole onerata, distenta, aut extrinsecus violentius compressa, eroduntur ab internis humoribus acribus, externis transeuntibus similibus, quibus anam potissimam purgantia suppeditare possunt: & plura alia de quibus jam supra ex naturalium, nonnaturalium & p. n. classibus satis abunde dictum. *Deficiunt* ex causis contrariis, ubi à sanguine paucò, frigido, crasso ad motum tardo vasa hæc obstruuntur, ambientis frigore, victu aut medicamentis incrassantibus, adstringentibus, obturantibus ora viæque constringuntur, aut intempestivè occluduntur. Per odores resinosos *Ephemerides* sæpius adductæ suppressas memorant, *ad ann. 72. obs. 226.*

XIV. Quæ differentias; hæ cæcæ vocantur, quæ nihil aut insufficientem materiam fundunt, ut aperta illæ, quæ sanguinem inoffensò cursu demittunt, & quidem, quæ præsens, justò copiosiore & ad virium usque languorem. Cæcæ magnitudinis respectu parvæ, mediæ, magnæ sunt, ratione figuræ, uvales, morales, verrucæ, vesicales &c. Philistæos olim 1. Sam. 5. verrucalibus percussos fuisse Benjamin Mussaphia Judæus persuasus fuit, apud Dietericum l. c. qui cæcum Judæum cum cæcis hæmorrhoidibus valere jubet. Ratione loci *interna* & *externa* audiunt: ratione symptomatum, modò cum inflammatione, exulceratione, febre, ani procidentia & dolore conjunctæ sunt, mo-

dò si



dò sine his, in quibus & prioribus differentiis recensendis Autores hinc inde occupatissimos videas.

XV. *Signa distinctiva* vel solum oculorum iudicium & ægri relatio suppeditare possunt. Comitari utrumque vitium symptomata solent, communia quædam, virium lapsus, lassitudo, & quod ex *Foresti l. 23. obs. 5. in schol.* observatione hæmorrhoidum laborantium ex cacochymia signum pathognomonicum est, color corporis & præprimis faciei ad viriditatem inclinans, quasi citrinus, quam Judæis familiarem esse, ex usu allii crudi *C. Hoffmannus de loc. affect. l. 3. c. 3.* credit, acciditque etiam virginibus, quæ lunare tributum decenter non solvunt, nec desunt alia massæ sanguineæ laborantis & cacochymię argumēta, appetitus prostratus, præcordiorum inflatio, urina cruda, turbida, rubicunda, atrophia, tumor pedum, palpebrarū &c. Nec externas hæmorrhoides ab internis discernere visus opere multi laboris est; illæ enim visui obviæ, hæ fugiunt eundem. Nec difficile est causarum signa subolfacere; si ob diæresin fluunt, malum vehementius, fluxus impetuosior, & sæpius cum dolore monstrat; In anastomosi & diapedesi præsertim modestior est; occasionales etiam præcessere hujus vel illius causæ indices. Viscerum culpæ propriis se signis produnt; si cœcæ sunt & dolentes, in externis tumor oculis & tactu notari potest, hoc absente non possumus non internas accusare; quæ sub alvi etiam exoneratione difficultatem magnam inferunt.

XVI. *Quæ prognosin*; ut modestus & s. n. accidens fluxus hic multa valetudinis & vitæ commoda pollicetur secundum superiora, ita in excessu aut defectu peccans tot tantaque incommoda imò mortem  
ipsam



ipsam minatur, teste *Galenô 3. de nat. facult. c. 8. Aetiô tetrab. 4. s. 2. c. 3. pari cum mensibus successu ex 5. aph. 57.*

XVII. Periculosior verò excessus est, quàm defectus, viamque ad mortem breviorē sternit, profusô plus debitô vitæ thesaurô, sanguine, quem cada-verosa facies, hydrops, animi deliquia & plura, quæ *Endemo Larissæ* accidisse *Hippocrates 5. epidem. 20.* refert, sequi solent. Defectus tamen calorem naturalem, etiam sufflaminat, retentôque sanguine sive quantitate sive qualitate peccante, capitis gravedinem, pallorem faciei, ponderositatem renum secundum *Barth. Anglicum*, hydropem, tabem *6. aph. 11.* sanguinis sputum, apud *Amatum Lusitanum*, tumores, inflammationes, ulcera, fistulas, paralyin apud *Hildanum*, melancholiam apud *Zac. Lusitanum*, scorbutum, quartanam, *ephem. cit. ad ann. 3. obs. 331.* ossis palati corruptionem apud *Scul-tetum*, dolorem vagum in toto corpore apud eundem *Z. Lusit.* stranguriam & horum similia, per variam materiæ *περίσσειαν*, inducit. Ita *Trajanum* Imperatorem hemiple-gia & hydrops extinxit, teste *Xiphilinô*. Degenerare non-nunquam in occultum quasi cancerum morbus & *νεκρώσει* interiorum inductâ miseram mortem inferre solet, teste *Georg. Wolff. Wedelio in opiolog. l. 2. s. 2. c. 5.* Curatio comū-niter difficilis judicatur, ob loci affecti sensibilitatem, continuum humorum affluxum & medicamento-rum, præsertim internis laborantibus, haud facilem applicationem. Cohibetur autem fluxus facilius in *ἀναστομίσει*, difficilius in *διαρρέσει*.

XVIII. Circa Curam statim notandum, etsi l. n. fluentibus hæmorrhoidibus propriè curatio nulla com-petat, sed potius naturæ relinquendum negotium, eò



tamen ordinanda omnia esse, ne limites modestiæ excedant, aut deficient, & cum vel plethoram vel caco-chymiam aliquam redoleant, semina utriusque, quantum fieri potest, in herba suffocanda, observatō diætæ regimine, purgationibus & sanguinis depletionē, debitō, ubi opus, tempore institutis. In statu verò p. n. tria agenda obveniunt. 1. excedentes cohibendæ. 2. suppressæ promovendæ. 3. dolor mitigandus; quibus scopis internis & externis satis fieri potest.

XIX. Cohibentur illæ, cum à diversis causis pendeant, medicamentis ex omnibus Artis fontibus petitis. Et quidem si copia sanguinis in culpa est, hic minuendus, si motus, revellendus, intercipiendus, repellendus, si fervor, tenuitas, acrimonia, moderandus, refrigerandus, incrassandus, evacuandus; vasa p. n. aperta in integrum restituenda. Ex fonte *Chirurgico* inter prima stat sanguinis evacuatio, quæ, cæteris consentientibus, instituenda per v. s. in cubito, habitâ subjecti, virium & fluxus ratione, jam copiosius, jam parcius, & non rarō partitis vicibus; ita minui, revelli quodammodo refrigerari & defervescere insimul sanguis potest. Venæ sectioni, suadentibus circumstantiis, curcurbitulæ cum & sine scarificatione ad scapulas, mammas, hypochondria, lumbos substitui possunt. Frictiones asperis pannis & ligaturas fortiores Practici etiam fieri jubent; has autem, nec, ut videtur, sine ratione, averfatur *Henricus ab Heer obs. med. 13.* & remedium atrox, imò carnificinam vocat, quas etiam experientia sæpius frustra adhibitas testatur. *Felix Platerus* bina hæc præsidia rejicit. Ubi gravius & extremum malum urget, etiam ferrum & ignem ex pharetra hac nonnulli accersenda censent. Di.



ctu autem hoc facile sed factu difficile scribit *Rolfincius in epitom. meth. cognosc. & cur. part. corp. aff. l. 3. c. 21.* tentavit tamen rem feliciter *Ioh. Scultetus* in desperato ægro *armam. chirurg. p. 1. tab. 44.* Plura *Hippocrates de hemorrh.* docet; sed minus tuta secundum *Petraum*; de quibus evolvi *Hieron. Fabritius ab Aquapend. in oper. Chirurg. Riverius in prax. c. de hemorrhoid.* *Sennertus l. c.* merentur. Interim memor sit, quicumque hæc imitari volet, *aphorismi 12. §. 6.* præsertim ubi diuturnæ coercendæ sunt.

XX. Ex *Pharmacia*, si vires ferunt, purgantia mitiora locum habent, quæ serosos, biliosos, acres humores, sanguinis aurigam, blandè abducunt. v. g. *mana, cassia, fenna, sir. violar. sol. ros. sol. polypod. diafer. de spin. cerv. præprimis* extolluntur moderatè simul adstringentia, *rhabarb. c. sirupo suo, myrobalani, & præcipuè secundum Mercurialem, tamarindi,* quibus *LaZ. Riverius* pruna acidula modò suò æquiparat; interdum fortiora *mechoacanna, gialapp. & quæ in scorbuto aliàs proficua sunt, conveniunt.* Pilulæ de *bdellio Platero & Riverio* magnæ. Accedunt his alterantia alia frenum sanguini quodcunque iniicientia interna & externa, refrigerantia, incrassantia, præcipitantia, vasa adstringentia, occludentia, & denique ipsa narcotica. Prioris ordinis sunt *portulaca, sempervivum, plantago, nymphaea, lactuca, acetosa, fragaria, intybacea omnia, fl. rosar. viol. sem. frigida, spec. diamarg. frig. diatrion santal. camphora, sir. fl. papav. cydon. compositum spern. Croll. Præcipitant bolus Arm. terr. sigill. corall. r. ebur s. ign. oculi 69. C. C. ust. specif. Croll. ex conch. adstringunt lap. hæmat. croc. ♂, adstring. spec. diamart, diaplantag. Myns. fir.*



fir. de symphyt. *Fern.* è ros. sicc. myrt. rib. berber. rad.  
 tormentill. bistort. Clysterem ex variis his & similibus  
 confectum *OsW. Grembs arbor. integr. & ruinos. hom l. 2. c. 1.*  
 § s. conficit & injicit *l. c.* Narcotica denique, ubi reli-  
 qua deficiunt, sanguinē crassè faciendi & concentra-  
 di vi possident, e. g. opium, laudan. opiatum, theriaca,  
 mithridatium. Externa topica feliciter quoque adstrin-  
 gunt, & vasa occludunt, imò etiam sanguinem im-  
 petuosiore refrenare sciunt; & hæc quidem lumbis  
 applicantur, exempli l. empl. de spermat. ranar. un-  
 guent. infrig. Gal. ros. c. camphor. & sacchar. Saturn.  
 maritata. Ipsi sedi conveniunt sacculi glandibus  
 & foliis quercuum referti aceto forti cocti & imposi-  
 ti; pariter flor. rosar. rubr. plantag. myrrh. in vino  
 rubro adstringente cocti profunt. Pulvis hæmorrhoi-  
 dalis *Myns.* inter prima ponendus. Fungus, crepitus  
 lupi dictus, tela araneorum, usnea cranii human.  
 profunt. *Sennertus l. c.* folia verbasci, ob singula-  
 rem horum, tùm in fluxu hæmorrhoidum sistendo,  
 tùm dolore sedando, efficaciam, commendat. Col-  
 cothar vitrioli vasis hæmorrhoidalibus inspersum po-  
 tenter fluxum sistit secundum *Rolfinccium L. 3. c. 21.*  
*de hæmorrhoid.* *Rodericus à Fronsec.* applicatione cucur-  
 bitulæ modò ad dextrum modò sinistrum hypochon-  
 drium, infusò parti affectæ succò plantag. portulac. c.  
 pulv. adstring. ex bol. Arm. terr. sig. mastich. & thur.  
 hunc tollit, *tom. 1. consult. medic. 82.* Millefolium in aqua  
 fervente infusum & per mensem aut diutius assum-  
 tum, *Laz. Riverius in obs. commun. à Petro Pacheco obs.*  
*s. ex Arnaldo de Villanova* laudat. Juxta *Helmontium* su-  
 dor morientium inter linteolum collectus hæmor-  
 rhoides mortificat; rationem apud ipsum *lat. hum. negl.*



§. 17. & Os W. Grembs l. c. pete. *Sebizius ephem. cit. ad ann. 3. obs. 33.* incompefcibiles antè unguent. de tabaco coërcuit. Fœmina solò polygonò sub axillis positò idem obtinuit. *obs. 221. l. Hartmannus in prax. chim.* cingulum ex fol. helleb. n. nudo corpori circumdatum expertus fuit; *Toparcha Merodensis* annulum arcanum jactat, quem ex dente equi marini esse nonnulli judicant. Myrrhæ suffitus nec non thuris & mastichis tum naribus, tum per infundibulum in ipso cruoris fonte exceptus præsentaneus est, secundum *ephem. nat. curios.* Unguenta si admittuntur, magis probantur *Rondeletio*, quæ oleis parantur, quod magis adstringant. Videntum tamen ne uni adstrictioni & suppressioni operam omnem demus, ob infelicem ut plurimum successum, quem *ephem. præcit. ad ann. 3. obs. 331.* notant. Imò cum cacochymia ferè indices sint hæmorrhoides tales, & obstructions viscerum, hepatis, lienis, &c. non rarò incusent, etiam viscera deobstruentibus, aperitivis antihypochondriacis nonnunquam opus esse experientia persuadet: ita tincturâ ♂ aperitivâ curatas meminit *Georg. Wolf. Wedelius opiolog. l. c. ephem. ad ann. 3. obs. 21.* eâdemque intentione pilulas suas ex chalybe commendat *Riverius l. c.*

XXI. Diata maximum ad curationem & præfervationem momentum confert, experientiâ præter *Hippocrat. & Galen.* oracula, contestante. Aër sit temperatus aut ad frigidum magis vergat. Conspirare cum hoc alimenta debent, coctu facilia & parcâ manu, si plethora adest, exhibenda: hordei cremor & juscula hœc nomine laudanda; nec non, cum molli hîc alvo maximè studendum sit, quâ sine hæmorrhoidalis fluxus non compescitur secundum *Thom. Marman-*



*num l. 4. consult. 21.* emollientia alia, spinachia cum jure carniū parata, pruna Ungarica, uvæ passæ, butyri moderatus usus, oryza cum lacte cocta, lactucæ creber usus & similia grata sunt. Potus loco esse potest decoctum hordei, cichor. C. C. citr. vinum aquosum non diureticum, emulsionēs sem. frigid. violat. Myns. interdum etiam acidularum usus convenit. Absint omnes animi & corporis motus nimii.

XXII. In suppressis & cœcis contraria omnia fiunt. Sanguinis detractio, si locum habet, nec hujus copia aut impetus in vasa hæmorrhoidalia furiosus & inflammatio metuenda aliud desiderant, in inferioribus administretur. *Zacutus Lusitanus* fontanellam cruribus affixam utilissimam deprehendit *l. 2. prax. adm. obs. 82. Ecc. Leichnerus l. c.* ipsis natibus cauterium à celebri Practico admotum utiliter vidit. In contumaciori malo ferrum secans, alii sangui fugas & frictiones in subsidium vocant; ferro tamen attingere hæmorrhoides ferè omnes metuunt, ne affluxus augeatur, ulcus, gangræna aut sphacelus ipse inducatur, aut lethalis hæmorrhagia sequatur, quam *Hebraeus Amstelodamensis l. 3. prax. admir. observavit. J. Scultetus l. c.* si absque doloris sensu & inflammatione intumescunt vasa, ferrum candens admovet, cujus calorem solum, non contactum, percipiunt hæmorrhoides & exsiccantur; aliter tamen in internis, in externis aliter procedit, ut apud ipsum videre est. Tutius sangui fugæ substituuntur, observatis tamen observandis, circa harum applicationem quæ *Nobilissimus Dominus Præses disput. de hirudin.* accuratè collegit. Ut autem hæ applicationi huic & aliis topicis pateant, præsertim internæ, *Z. Lusitanus* prius cucurbitulam totum anum

com



comprehendentem admovet, ut emineant *l. 2. prax. adm. obs. 83.* Tentanda tamen omnia prius mitioribus, nec, nisi his deficientibus, ad fortiora transeundum. Sæpè autem solæ frictiones pannis asperis factæ sufficiunt, quibus subordinari folia ficus, millefol. mercurial. borag. bugloss. parietar. possunt.

XXIII. Ex *pharmaceutico fonte* prodeunt in scenam medicamenta alvum & simul vasa hæc solventia varia, præsertim aloëtica, pil. aloëphang. propr. Myns. spec. hier. picr. elix. propriet. decoct. brassicæ; Cassia cum jure pingui data ab omnibus ferè extollitur; hanc tamen & similia emollientia malum augere credit *Petrus Pachecus in observat. comm. apud River. 5.* & hujus loco decoctum millefolii pro ordinario potu deprædicat. Glandes, clysteres acres ex hier, picr. felle taur. dia-co'ocynth. herb. rut. organ. calaminth. centaur. min. rad. cyclam, aliis placent, vide *Fabrit. Hildanum de valetud. tuend.* Inter externa balnea emollientia, anodyna, naturalia & artificialia, inunctiones omnis generis, epithema a, cataplasmata &c hinc inde obvia, ex rad. ebul. flor. verbasco. chamom. melilot. malv. cort. & flor. sambuc. mucilag. sem. psyllii, cydon. lini, proficua sunt, in lacte cocta & tepidè adplicita: qui acriora Autoribus ubique nota in usum vocant, videant ne dolor & inflammatio increcant; quibus urgentibus scrophularia apud *Henricum ab Heer obs. 20.* si-ve in substantia in cibo aut potu data, viridis aut sicca, si-ve in decocto propinata, magnarum virium est, *Solenander* inde unguentum conficit. Linaria præsertim in linimentum cum adipe porcina redacta, & ovi vitello permista apud *Greg. Horstium l. 4. observat. med. 24.* remedium annuâ bovis mercede dignum commendatur.



datur. Elegans ex fabaria seu telephio auxilium parat præcitatur. *Solenander*; quam amuleti locò appendit dorso *Wedelius* inter scapulas, & dolorem omnem ad miraculum abigere testatur, ubi linariæ pinguedine malum exasperatur, aliis linimentis, unguentis & externis variis æger frustra ad mortem usque defatigatur. *Ulysses Aldrovandus* hæmorrhoidalem herbam, polygoni speciem, Italis non ignotam, describit, quâ tactæ hæmorrhoides dolentes melius habent, si per diem circa femur gestetur & mox in fumante camino suspendatur: ut herba ita & hæmorrhoides corrugantur, omnisque evanescit dolor. Narcoticis ferventem Archeum, phrasi Helmontianâ, interdum compescere cogimur, in quem scopum *Grembsius l. d.* seq. unguentum præscribit: Rec. ol. rosar. momort. an.  $\mathfrak{z}$ j c. alb. ovi & mucilag. sem psyll.  $\mathfrak{z}$ ß. opij  $\mathfrak{z}$ ij croci  $\mathfrak{z}$ j M. Paria philonium instar suppositorij in inferiorem, ut cum *Plauto* loquar, gutturem immissum præstat. Usitatoria sunt ol. papav. s. hyosc. express. unguent. popul. ad hæmorrhoid. August. sed iterum hîc aurem vellicat illud: ne quid nimis!

XXIV. Denique recta victus ratio & omnium rerum nonnaturalium usus conveniens instituantur, quæ ex superioribus, cum contrariorum contraria ratio sit, collectu facilia sunt. Brevitatis studio, eos, qui plura desiderant, ad *Solenandri* eruditum & prolixum discursum de hæmorrhoid. in consult. l. c. ablego. Mihi enim vela contrahenda sunt.

Ad Cl. Dn. Candid.

Grande Patris dignumque decus, quod Gratia finxit,  
Ægrorum pariter dulce levamen eris.

Ita meritò ominatur

M. Tobias Mærcklin, Stip. Mart. Oecon.

F I N I S.